

C.

CADAVER.

1) Asportatio.

Archipresbytero Cathedr., associate capitulo, licitum non est independenter a paroco domicilii, in quo Capitularis decedit, illius cadaver asportare ad Cathedralē; item viceversa licitum non est Archipresbyteris Ecclesiarum parochialium. n. 4262 ad 8 et 9 die 18. Decb. 1756.

Vd. *Defunctus*.

2) Deferentes.

Sacerdotibus Prioriae s. Petri in Lilice civitatis Volateranae non licet deferre cadavera *Monialium* ex Monasteris ad Ecclesiam dictae Prioriae. n. 4096 die 11. Julii 1739.

3) Depositio.

Vd. *Defunctus*; *Defunctus Sacerdos*.

Cadaver in Ecclesia praes. vd. *Missa exequ.* in die obitus.

4) Jurisdictio.

Parochi Jurisdictio super cadaver durat, quosque transeat in aliorum jurisdictionem, non transit autem cadaver in jurisdictionem regularium, nisi quando pervenit ad fores eorum ecclesiae. S. C. C. 28. Febr. 1711; S. R. C. 2. Sept. 1741.

CAEREMONIAE.

1) Correctio.

Vd. *Usus*; *Caeremoniarum* (vigilans etc.); *Instructio Clem.* § XXXVI. n. 18, 19 etc.; *Extrema Unctio* (Unctio Ped. decr. n. 4750 nota); *Coena Dom.* (Processio, decr. n. 4647 nota).

Archiepiscopum pro sua prudentia providere debere, ut abusus circa ritus et caeremonias introducti juxta caeremonialis praescriptum corrigantur. n. 583 die 4. Apr. 1620.

Archiepiscopus potest in sua Cathedrali corrigere defectus et Caeremonias aliosque abusus cumulative. n. 3370 ad 1 die 3. Sept. 1695; n. 3443 ad 1 die 31. Aug. 1697.

Ad dubium: an, si Praelatus nonnullos introduxerit usus, iidem servandi sint, quae a Caeremoniali praescribuntur praetermissis? S. C. resp.: Servandum Caeremoniale. n. 3551 ad 6 die 13. Mart. 1700.

2) Missae, a Sacerdote inhabili celebrandae.

Vd. *Sacerdos inhabilis*; *Sumptio SS. Sanguinis cum fistula*.

3) Mutatio.

Vd. *Missale*; *Ritus*; *Rubrica*; *Extrema Unctio* (Unctio pedum, decr. n. 4780 nota).

Non audeant sine expressa S. R. C. licentia Patriarchales et Colleg. Ecclesiae, nec Magistri Caeremoniarum immutare ordinarias Caeremonias seu variare vel novas ordinare diverso ac vario modo ab eo, qui in rubricis Missalis et Breviarii Romani et in Libro Caeremoniali praescribitur, et ab usu et consuetudine universali... sine expressa licentia ejusdem S. C., ad quam specialiter et particulariter haec pertinent, sub poenis contra facientibus arbitrio ejusdem S. C. imponendis et exequendis. n. 454 die 12. Maii 1612.

Episcopus non potest esse iudex ad declaranda dubia super sacris ritibus et Caeremoniis exorta. n. 263 ad 1 die 11. Junii 1605.

Episcopus non potest esse iudex ad declaranda dubia super sacris ritibus et caeremoniis exorta. n. 265 ad 1 die 11. Juni 1605.

Non licet Capitulo, Sede vacante, propria auctoritate addere quidquam vel minuere caeremoniis contra ritum

praescriptum in Caeremoniali romano. n. 1423 ad 2 die 17. Decb. 1642.

4) Origo diversarum Caer.

Vd. *Ritus* (Origo diversi ritus.)

5) Quid significant?

Vd. *Cereus pasch.* (Bened. modus, decr. n. 4672 nota.)

CAEREMONIALE.

1) Episcoporum.

a) Consuetudo.

Vd. *Episc.* (access., ordo incedendi; decr. n. 4597); *Consuetudines*; *Nativit. Dom.* (Officii cant.; decr. n. 4672 nota.)

Caeremoniale abusus tollere, non autem immemorabiles consuetudines, maxime si consuetudo immemorabilis legitime praescripta sit. n. 229 die 10. Jan. 1604.

Clericos per Episcopum... ad munia subeunda juxta formam libri Caeremonialis debitis et opportunis remediis cogendos esse. n. 240 die 10. Apr. 1604.

Librum Caeremon. *immemorabiles* et laudabiles consuetudines non tollere. n. 266 die 11. Junii 1605.

Omnes Ecclesias Metropol., Cathedralis et Colleg. Librum Caeremonial. in Omnibus ad unguem servare debere, praeter quam in illis, quae de *antiqua, immemorabili ac laudabili* consuetudine, alio vel diverso modo ab eo, quo in Caeremoniali praescribitur, observantur. n. 270 die 16. Julii 1605.

Decretum „quod liber Caeremonialis Episcoporum non tollat laudabiles et immemorabiles consuetudines“ in quibuscumque Regnis et locis per totum Christianum Orbem locum habere. n. 318 die 17. Juni 1606.

Laudabiles et immemorabiles consuetudines, quas Liber Caeremonial. non tollit, nec etiam per Episcopum

Decreta authentica.

posse abrogari seu tolli. n. 449 die 28. Jan. 1612.

b) Dubia.

In casu discrepantiae quoad intelligentiam et observantiam Caer. Episc. et quoad alias functiones non licet Episcopo procedere juxta resolutionem congregationis particularis; recurrat in casibus particularibus. n. 4235 ad 16 die 15. Sept. 1753.

2) Regularium.

Caeremonialia Regularium, quae Caeremoniali Episc. in aliquibus conformia non sunt, prohibendae sunt. n. 1627 ad 5 die 19. Aug. 1651.

3) Servandum est.

Formam libri Caeremonialis introducti et acceptati in Ecclesia Turritana servandam esse. n. 488 die 19. Maji 1614.

Subcollectores spoliiorum, commissarii aut alii Ministri Camerae apostolicae in criminalibus, quocumque nomine nuncupentur, qui Dignitates, Canonatus aut Beneficia obtinent, privilegio SS. D. Urbani VIII. *Alias recolendae* (2. Julii 1636) se tueri non posse, quominus, ubi de cultu divino et de observatione Caeremonialis et rubricarum Missalis et Breviarii romani agitur, per Episcopos Dioecesanos ad implendum eorum munus cogi possint. n. 1493 die 5. Mart. 1644.

Sub verbis, quibus PP. Clemens VIII. et Innocentius X. utuntur Caeremoniale Episc. approbantes et observari mandantes ab omnibus et singulis personis, etiam Regulares, qui ritum romanum in Officio divino et Missa sequuntur, comprehenduntur, nisi aliter fuerit a Sede apost. specialiter indultum. num. 1637 ad 4 die 19. Aug. 1651.

Caeremonialem librum semel receptum, integre servandum fore. num. 1735 die 14. Nov. 1654.

Caeremoniale Episcop. a Capitulo et Canonicis Calaritanæ Ecclesie omnino servari debere. n. 1770 die 27. Nov. 1655.

In omnibus Ecclesiis, maxime Cathedralibus, sublato quocunque contrario usu sive consuetudine . . . in explendis s. functionibus, caeremonias et ritus a Caer. Episcop. praescriptos, juxta illius modum et normam in quibuscunque actibus exercendos et observandos esse. n. 2947 die 19 Apr. 1681.

Beneficiati sive Hebdomadarii Metrop. Neapolis in functionibus eccles. tenentur servare omnia et singula, quae praescribuntur Beneficiatis Cathedralium a Caer. Ep., aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis. n. 4248 ad 1 die 7. Sept. 1754.

CAEREMONIARIUS.

1) Assistens Episcopo.

In defectu superiorum Dignitatum Praefectus Caeremoniarum potest assistere throno Episcopali et valet pro directione caeremoniarum alium substituere. n. 4064 ad 17 die 31. Aug. 1737.

2) Candela in processione.

In processionibus, in quibus Episcopus exercet Pontificalia et Canonici s. vestibus sunt ornati, Praefectus caeremoniar. deferre non valet intortitium, licet sit in habitu choralis. n. 4064 ad 15 die 31. Aug. 1737.

3) Non distribuit Olea s.

Vd. *Coena Dom.* (Olea s.; Distributor.)

4) Ecclesiae Cathedralis.

Vd. *Caeremon.* (electio, vestis); *Administratio Sacrament.* (ministri, decr. n. 4536); *Oblatio in Parasceve.*

5) Ecclesiae Collegiatae.

Vd. *Caerem.* (Processio.)

Magister Caeremon. Capituli Colleg. Placentiae associare non valet dictum Capitulum cum habitu violaceo et cum gestatione ferulae in illis processionibus publicis caeterisque functionibus generalibus, in quibus intervenit Capitulum Cathedralis. n. 3980 ad 1 die 3. Julii 1728. Idem decret. pro Canonicis Colleg. Casalen cum appendice: „etiamsi Capitulum Cathedr. non interveniat.“ n. 4226 ad 9 die 15. Julii 1752.

6) Ecclesiae parochialis.

Ad dubium: an in Vesperis et Missis solemnibus in Ecclesiis parochialibus possit adhiberi aliquis Caeremoniarium? S. C. resp.: *Affirmative.* n. 2912 ad 6 die 24. Febr. 1680.

7) Electio.

Vd. *Instructio Clem.* §. XXXVII. n. 2.

Magistri Caeremoniarum Episcopi eligantur ab Episcopo, Capituli a Capitulo. n. 3318 ad 10 die 11. Julii 1693.

Ad dubia: 1. An liceat Capitulo eligere Magistrum caeremoniarum ab Episcopo confirmandum in casu etc.? Et quatenus affirmative.

2. An valeat Episcopus, justis de causis in Caeremoniali Episcoporum praescriptis, confirmationem electionis denegare, et an teneatur causas exprimere?

3. Et an idem Magister caeremoniarum censi debeat electus privative, etiam quoad omnes functiones pontificales et assistentias praestare solitas Episcopo tam intra, quam extra Ecclesiam Cathedralis? Et quatenus negative.

4. An Episcopo liceat alium Magistrum caeremoniarum eligere pro omnibus functionibus ab ipso peragendis et aliis, ipso praesente, explendis tam

intra, quam extra dictam Ecclesiam? Et quatenus affirmative.

5. An eidem Magistro caeremoniarum ab Episcopo electo omnes Capitulares teneantur obedire quoad ea, quae divinum cultum concernunt, sub poena, arbitrio Episcopi, in casu etc.?

Et S. eadem R. C., partibus hinc inde in scriptis, et in voce informantibus auditis, rescribendum censuit:

Ad 1. „Affirmative.“

Ad 2. „Affirmative, quoad primam partem, negative quoad secundam.“

Ad 3. „Negative.“

Ad 4. „Affirmative.“

Ad 5. „Affirmative.“

Et ita declaravit ac servari mandavit. n. 4023 die 17. Julii 1734.

Ad dubium: 1. an liceat Capitulo eligere pro functionibus canonicalibus et ejus servitio Magistrum caeremoniarum distinctum ab altero Episcopi? et 2: an idem valeat suum munus exercere absque consensu et approbatione Episcopi? S. C. resp.: ad 1: affirmative; ad 2: Non posse exercere absque approbatione et quoad consensum satis provisum in primo. n. 4028 ad 1 et 2 die 22. Jan. 1735.

8) Episcopo indicit Officia.

Ad dubium: an Canonicus Magister caeremoniarum teneatur requirere Episcopum, utrum et quando velit accedere ad Ecclesiam pro assistendo divinis Officiis, sive potius ipse Episcopus teneatur notificare Capitulo suum accessum ad Ecclesiam? S. C. resp.: Affirmative juxta modum; Modus est: ut teneatur in diebus, in quibus Episcopus solet assistere, in reliquis negative. n. 4103 ad 3 die 10. Decbr. 1740; num. 4145 ad 3 die 20. Julii 1743.

9) Fimbrias Episcopi elevat.

Vd. *Fimbrias vestis Episcopi.*

10) Ad Lectiones.

Canonicis aliisque lectiones cantantibus in choro vel antiphonas suggerentibus debet solus Caeremoniarium comes adesse, quod etiam in tali casu observat Cappella Pontificia cum Emis. Cardinalibus. n. 3597 ad 2 die 10. Sept. 1701.

11) Locus in choro.

Cf. *Caeremoniarium* (sedes).

Magistros caeremoniarum in choro, quando Officia non celebrantur solemniter, in quibus eorum assistentia non requiritur, sedere debere inter Clericos vel Presbyteros, juxta ordinem Praebendarum vel Beneficiorum, quae in Ecclesia habuerint. Quodsi nullum habuerint vel obtinuerint Beneficium vel Praebendam, inter simplices clericos vel presbyteros, ordinis et antianitatis praerogativa servata, sedere et assistere debere. n. 419 die 20. Nov. 1609.

Magistrum caeremoniarum (seu ejus Substitutum) quando *tamquam Capellanus* in choro assistit ad horas canonicas, debere sedere in loco suae receptionis inter alios Capellanos. n. 537 die 8. Maji 1617.

12) Locus in accessu ad altare.

Ad dubium: an Magister caeremoniarum in egressu e Sacristia pro Matutinis, Laudibus et Vesperis solemniter persolvendis praecedere debeat Presbyteris Pluvialibus indutis, et Ministris Sacris in celebratione Missae, vel cogi possit ire immediate ante Canonicum celebrantem, praesertim si Ministri sint celebrante gradus inferioris?

Et S. eadem C. rescribendum censuit: „Affirmative ad primam partem, negative quoad secundam: et servandus modus praescriptus in Caeremoniali Episcoporum lib. 2 cap. 3 n. 1.“

Facta autem per subscriptum Secretarium S. D. N. relatione, S. S. S. C. responsa approbavit et confirmavit, et Decreta generalia, de quibus supra, typis impressa evulgari mandavit. n. 4536 ad 2 die 4. Junii 1817.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Quamvis regula generalis sit, quod certus locus non sit assignandus caeremoniarum Magistro, qui stare, aut discurrere debet pro officii ratione, ut omnia, quae ad sacras pertinent caeremonias rite et recte peragantur, uti patet ex Decretis ex nostra collectione legendis: relate tamen ad speciem in dubio propositam clara est dispositio Caeremonialis lib. 2 cap. 3 num. 1, ubi legitur: *Coadunatis Canonicis et aliis de Clero in Chorum, praedictus Canonicus Celebrans procedet e Sacristia hoc ordine: praecedunt duo Acolythi deferentes candelabra cum candelis accensis, deinde Caeremoniarus et aliqui Ministri cottis induti, mox Presbyteri pluvialibus parati bini, et bini, ultimo loco Canonicus Celebrans pluviali indutus medius inter duos ex dictis Presbyteris, qui fimbrias anteriores pluvialis ipsius parumper elevat.* Haec idcirco regula tenenda est, ut dum clara est Caeremonialis dispositio, minime attendi debent privatorum scriptorum placita, qui in diversas abeunt opiniones, ac varii sunt in assignando locum caeremoniarum Magistro.

13) Locus incertus.

Magistro caeremoniarum nullum competere locum in sedendo, sed stare debere, dum munus suum exercet juxta Caerem. (L. I. c. XVII.) n. 1110 die 9. Dec. 1638.

14) In missa conventuali.

Servari potest antiqua Cathedralis Conimbricen. consuetudo, qua diebus non festivis in missa conventual. non

assistit Magister caeremoniarum. num. 4233 ad 3 die 14. Apr. 1753.

15) Obedientia in eum.

Cf. Caeremon. (electio, decr. n. 4023 ad 5.)

Capitulares teneri omnes obedire caeremoniarum Magistro in iis, quae divinum cultum respiciunt, eundemque in sui muneris exercitio esse Capitularium Directorem non famulum. n. 4536 ad 11 die 4. Junii 1817.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Miror alicubi datam occasionem proponendi hujusmodi dubium. Vix enim induci possum, ut credam, aliquem reperiri, qui ita despiciat officium Magistri caeremoniarum, quod sane honorificum est, ut qui ad hujusmodi muneris exercitium assumitur, non secus habendus sit, ac si esset Capitularium famulus! Is namque ille est, qui sacras dirigit actiones, et vigil adest, ut Ecclesiae leges quoad ritus, et caeremonias adamussim serventur. Quamobrem omnes, etsi gradu longe majores, in iis tamen, quae ad divinum cultum pertinent, ei obtemperare tenentur. Ita jubet Caeremoniale Episcoporum lib. I. cap. 5 num. 5. Episcopi curae erit omnes tam Canonicos, quam alios de choro praemonere, ut ipsis Caeremoniaris, in his, quae ad divinum cultum spectant, sine contradictione obediant; nec tantum eorum verbis acquiescant, sed ut oculos in ipsos convertentes observent; et illico illius nutu, aut levi aliquo signo, vel intuitu quod agendum sit significantibus, statim pareant. Et S. C. in Monopolitana 17. Julii 1734 respondit: *Omnes Capitulares teneri obedire Magistro caeremon. ab Episcopo electo, quod ea, quae divinum cultum concernunt sub poena arbitrio Episcopi. Atque adeo verum est, quod Magistri caeremoniarum officium honorabiliori-*

bus adnumeratur, ut eadem S. C. responderit: haud repugnare, quin ad illud exercendum assumatur Canonicus Cathedralis. Ita in Licien. 10. Jan. 1693. Quo jure igitur dicendus Capitularium famulus?

16) Processio.

Vd. Caeremon. Eccles. Colleg.; Incensum (quis imponit etc.)

Magistris caeremoniarum non dari certum locum in *processionibus*, sed eos ubique assistere et discurrere debere, ubi opus est, in ordinandis et disponendis dictis processionibus. n. 163 die 30. Aug. 1602.

Hujusmodi Ministrum locum non occupare, sed ad Processiones dirigendas vel ad Superiorum mandata exequenda, posse in quovis loco, vel inter seu ante vel post Clericos etiam paratos ad celebrandum, et undequaque juxta temporis et necessitatis exigentiam et quando occasio postulat pro sui officii executione incedere, discurrere et ambulare atque associare. n. 395 die 6. Dec. 1603.

Magistrum caeremoniarum, seu ejus Substitutum, quando vestibus Magistri caerem. indutus est, in processionibus debere incedere apud celebrantem et ejus Assistentes et discurrere, quando opus est ad dirigendas processiones. n. 537 die 8. Maji 1617.

Magister caeremoniarum (Canonicus) quotiescunque Canonicorum numerus dispar fuerit, cum Canonico seniori in processionibus, quibus pari et uniformi habitu induti intersunt, incedere tenetur, idque S. C. Ordinario, ne secus servari permittat, sedulo injungit. n. 1787 die 18. Mart. 1656.

17) Quis?

Non repugnare, quod Caeremoniarum Magister sit Canonicus. n. 1903 ad 2 die 13. Julii 1658; n. 3300 die 20. Jan. 1693.

18) Quot?

Episcopus curet, adesse duos Magistros Caeremoniarum, quorum alter serviat soli Episcopo, alter Dignitatibus et Canonicis ad s. caeremonias opportune peragendas. n. 3328 die 13. Mart. 1694.

Vd. Caeremon. (electio).

19) SS. Sacram. Celebranti non porrigit.

Vd. Ostensorium.

20) Sedes.

Cf. Caeremoniar. (Locus in choro).

Magistros Caeremoniarum debere assistere apud Celebrantem vel sedere ad ejus pedes. n. 419 die 28. Nov. 1609.

Magistrum Caeremoniarum seu ejus Substitutum, quando dictum officium exercet et vestibus Magistri Caerem. indutus est, licet ex numero Cappellanorum sit, debere sedere et assistere apud Celebrantem et ejus Assistentes, Pluvialibus indutos (de Vesperis enim agitur). n. 537 die 8. Maji 1617.

Ad dubium: an liceat Magistro Caeremoniarum in Matutino Nativ. Dom., Officiis tenebrarum et Officio defunct. in die Commemor. Omn. fidel. sedere inter Beneficiatos et in eorum stallis? S. C. resp.: Danda esse decreta de 28. Nov. 1609 et 8. Maji 1617. n. 3581 die 30. Apr. 1701.

Magister Caerem. stare debet semper reliquis Clericis et Acolythis sedentibus in Vesp., Matut. et Laudibus sol., dum munus actualiter exercet, secus negative. n. 4536 ad 8 die 4. Junii 1817.

Decretum de 9. Dec. 1638 (n. 1110): „Magistro caeremoniar. nullum competere locum in sedendo, sed stare debere, dum munus suum exercet“ — authenticum esse; intelligendum tamen, quod non sit Caeremoniaro locus in sedendo, quando actualiter suum exer-

cere debet Officium. num. 4536 ad 9 die 4. Junii 1817. (Cf. *Caerem. Ep. lib. 1 c. 5*).

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Authenticum et genuinum est Decretum editum sub die 9. Dec. 1638, sed mendum irrepsit in citatione Caeremonialis et legi debet Lib. 1 cap. 5, ubi revera agitur de caeremoniarum Magistris. Neque tamen ex eo consequitur, quod ille, qui Ecclesiasticas functiones dirigit, numquam sedere debeat. Equidem Caeremoniale Episcoporum nullum ei locum in sedendo assignat, quia regulas dumtaxat praebet in exercendo munere servandas, et certum est, quod in actuali exercitio non est ei sedendi locus. Jure laudatum Decretum dum praecipit stare debet, limitationem ponit dum munus suum exercet. Quid ergo prohibet, ne sedeat dum ab officio quiescit, nihilque est, quod ejus vigilantiam requirat? Indecens immo esset, ut ipse staret satis diu inoperosus, quando omnes in Choro sedent Matutinas et Vesperinas horas solemniter cum cantu persolventes, et Celebrans, Sacri Ministri, alique nec assistentia indigent, nec directione. Quod autem non exprimit Caeremoniale, et forte obscurum est in praefato Decreto, declaratur per alia S. C. Responsa, praesertim in Patavina et Viterbien.

Ad dubium: an Praefectus Caerem. Episcopo Pontificalia exercente, teneatur stare vel potius sedere debeat in scabello? S. C. resp.: Servetur Solum, extra tamen solium. n. 4064 ad 16 die 31. Aug. 1737.

21) Thurificatio.

Canonicum Caeremoniar. Magistrum nullo pacto debere associare Acolythum thurificaturum Magistratus saeculares. n. 1807 die 10. Junii 1656.

Ad idem dubium resp. S. C.: Tene-

tur associare, cum appendice: Magistratum saecularem, videlicet Syndicos, Electos etc. inibi collegialiter assistentes. n. 2272 ad 2 die 24. Maji 1664.

22) Vestis.

Vd. *Caeremon. Ecclesiae Colleg.; Administratio Sacram.* (Ministri decr. n. 4536).

Magistris Caerem. Cathedralis competit usus vestis violacei coloris juxta Caeremoniale Ep. Lib. I. c. IV., non tamen sericae materiae, neque cum globulis aliisque ornamentis rubei coloris. n. 2130 die 3. Sept. 1661.

Ad dubium: an Magister Caeremon. Capituli ex permissione Capituli uti valeat in functionibus canonicalibus veste violacea tam praesente quam absente Episcopo? S. C. resp.: Affirmative tantum in functionibus episcopalibus ex dispositione Caeremonialis, non vero ex dispositione Capituli. n. 4028 ad 3 die 22. Jan. 1735.

Serventur praescripta a Caeremoniali Ep. circa vestem violaceam et ferulam gestandam, prout legitur c. 5 et hujusmodi color et ferulae gestatio convenit solummodo Caeremoniariis Cathedralis. num. 4153 ad 7 die 21. Mart. 1744.

Ad dubium: an Magistri Caeremon. Cathedr. qui ex dispositione Caerem. Ep. necnon Patriarchalium Urbis, qui ex ap. Indulto, veste violacea in s. functionibus utuntur, eadem uti possint extra Servitium Episcopi et resp. Capituli? S. C. resp.: Negative ad utrumque et quoad caerem. Magistros Ecclesiarum Patriarchal. Urbis servandam esse strictam formam privilegii. n. 4590 ad 14 die 17. Sept. 1822.

23) Vigilans rubricas.

Vd. *Instructio Clem. §. XXXVII. n. 2.*

Ad dubium: Quomodo se gerere debeant Magistri Caeremoniarum, alique, qui vident in Ecclesiis non per-

agi functiones juxta Rubricas, nec observari Decreta et Resolutiones S. R. C.?

Et Emi. P. S. eidem C. Praepositi. respondendum censuerunt ut infra, videlicet:

„Adeundus loci Ordinarius, qui stricte tenetur opportunis remediis providere, ut Rubricae, et S. R. C. Decreta rite serventur, si quid dubii occurrat, recurrendum ad eandem S. C. pro declaratione.“

Atque ita responderunt, et statuerunt. n. 4590 ad 1 die 17. Sept. 1822.

Facta autem de praemissis SSmo. Dom. N. Pio VII. P. M. relatione per infrascriptum Secretarium, S. S. cuncta benigne approbavit, Decretumque desuper expediri, et publici juris fieri mandavit; Locorum Ordinariis stricte praecipiens, ut omnimodam illius observantiam urgeant. Die, Mense, Anno, quibus supra.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Dubium hoc illustratione non indiget. Quis enim est, qui nesciat pastoralis sollicitudinis esse, sedulo invigilare, ut adamussim Ecclesiasticae leges, quae circa ritus, sacrasque caeremonias versantur, rite recteque serventur; et si qui inoleverunt abusus, radicitus extirpentur? Id jubent Ap. Constitutiones praemissae tam Breviario et Missali Rom., quam aliis ritualibus libris: id pariter S. R. C. iterata Decreta. Nam *quaecumque ad Deum spectant ab Ordinario diligenter curavi, atque iis, ubi oportet, provideri aequum est.* Ita Trident. Syn. Sess. 21 cap. 8 de reformat. Jure igitur ad Episcopos pertinet in suis respective Dioecesibus curare, et jubere, ut a sibi subdito Clero s. ritus, ac caeremoniae ad praescripta Rubricarum et Decretorum componantur. Sed quoniam Episcopus aliis sui ministerii curis distractus, nec ubique adesse, nec omnia noscere per se po-

test, Magistris caeremoniarum onus incumbit, (quin ad hoc liberi censeantur Ecclesiarum Rectores), si quid viderint in Ecclesiis, sacrisque actionibus fieri a scriptis legibus, decretisque alienum, quod ipse nequeunt suasu, consiliisque abrumpere vel ad Ecclesiastici juris formam revocare, illud deferre ad Episcopum, qui sua auctoritate, prout stricte tenetur, jubeat, quid faciendum, quid vitandum est. Quodsi implexa res, involutaeque quaestiones sint, patet recursus ad S. R. C., quae facultatem habet declarandi, quod obscurum est, legemque interpretandi, ubi non est satis clara.

S. CAJETANUS.

(*Off. et Transl.*)

Cum Festum S. Cajetani Confessoris incidit in Dominicam XIV. post Pentecosten, quaeritur, an Lectiones III. Nocturni debeant esse de Festo sine IX. Lectione Dominicae, vel de Comuni Confessorum non Pontificum cum IX. Lectione Dominicae? Et an pariter Antiphonae ad *Benedictus*, vel *Magnificat* desumendae sint de Comuni Confessorum, vel variandae non sint, cum sufficiat additio, *Alleluja*, quod repetitur in Antiphona Dominicae.

Et S. eadem C. respondendum censuit: „Reponatur Officium S. Cajetani in propria sede die 7. Aug., et illud B. Vincentii ab Aquila transferatur in primam diem non impeditam.“

Facta autem per infrascriptum Secretarium de praemissis SSmo. D. N. Pio PP. VII. P. M. relatione; S. S. S. C. responsa approbavit, confirmavit atque ita in posterum a dicti Ordinis, et Provinciae Religiosis servari mandavit. n. 4549 ad 7 die 25. Aug. 1818.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Dubium hoc locum non habet, in quo consistat, utpote ortum ex arbi-

traria remotione *Festi S. Cajetani* a propria Sede, et translatione ad alteram, videlicet a die 7. Aug., in qua illud ponit nuperrimum Breviarium trium Ordinum, ad 6. Sept., ut in illa locari posset Officium *B. Vincentii ab Aquila* postmodum concessum Ordini Minoritico. Equidem me non latet, plura esse S. hujus C. Decreta, quae praelationem dant Officio particulari Ordinis, vel Religionis prae altero Ecclesiae universalis aequalis ritus. His forte Decretis innixus Director Calendarii Ordinis Minoritici arbitratus est, sibi licere amotionem *S. Cajetani* a propria sede, ut in eo collocaret suum *B. Vincentium ab Aquila*. Sed is sua est opinione deceptus. Etenim Decreta illa ordinem ponunt servandum in *occurentia* plurium Festorum aequalis ritus eadem die. Ita in *Einsidlen*. ad *Dubium: An in occurrentia Festorum ejusdem ritus etc. in Vilnen*. ad dub. 6, et in *Panormitana* etc. Ita etiam in peculiari Rubrica Breviarii trium Ordinum num. 83. Verum hujusmodi Decreta nullam dant regulam quoad designationum dierum, in quibus collocanda sunt Officia noviter concessa, si dies, in quibus ponenda forent, pleni sint Officiis aequalis ritus. Non haec sunt a suis sedibus amovenda, ut cedant locum aliis, quae supervenerunt sub obtentu, quod nova Officia sint propria Ecclesiae particularis, vel indulta alicui Ordini Regulari; sed haec amandanda sunt ad proximos dies non impeditos. Non enim valet illatio ab occurrentia ad assignationem, ac si regula, quae obtinet in plurium Officiorum occurrentia, aequae tenenda esset in assignatione perpetuae sedis novis Officiis. Contra vero certum est, caeteris paribus, non esse exturbandum illum, qui in possessione est. Igitur in proposito casu corrigendum, quod est male gestum; et *S. Cajetani* festivitas propriae sedi, a qua mota fuerat, restituenda.

Cum itaque, restituta festivitate *S. Cajetani* propriae sedi, cesset casus occurrentiae cum *Dominica XIV. post Pentecosten*, vanum videtur illam enodare quaestionem, quae ancipites facit utentes Breviario trium Ordinum.

CALCEAMENTA.

(*Deponenda in ador. crucis.*)

Ad dubium: an in adoratione crucis fer. VI. in Parasceve etiam Diaconus et Subdiac. debeant deponere calceamenta? S. C. resp.: Servetur consuetudo. num. 4815 ad XIV. 5 die 22. Sept. 1837.

CALENDARIUM.

1) Congregationis SS. Redemptoris.

Vd. SS. Redemptor. *Maternitas B. V. M.*

Ad dubium: An Patres Cong. SSmi. Redemptoris in Calendario Dioecesano, quo unaquaque Domus utitur, additis Officiis eidem C. specialiter concessis, inserere quoque possint, et quidem sub eodem ritu, Officia propria aliarum Cong., quarum privilegiis et indultis utuntur, et gaudent per plenissimam communicationem etiam quoad Officia Sanctorum propria confirmata, et quatenus opus sit de novo concessam in Literis Apostolicis obtentis 9. Januarii 1807?

Et Emi. P. . . respondendum censuerunt, ut infra, nimirum:

„Ad Emum. Ponentem cum Promotore Fidei ad mentem.“ Mens est, „ut exhibeatur Calendarium revisum, et adprobatum die 21. Jan. Anni 1789, et alterum redactum ad formam posterum servandus, et, facto verbo cum SSmo., de novo adprobari: salvis in reliquis omnibus et singulis privilegiis competentibus et concessis eidem Cong., vel ex communicatione cum aliis Cong., vel ex alia quacumque causa.“

Atque ita responderunt die 31. Mart. 1821 n. 4581 ad 1.

Ad dubium: Cum ex Decreto 19. Febr. 1794 in unaquaque Domo Cong. praedictae persolvantur Horae Canonicae juxta Calendarium Dioecesis, in qua sita est, additis Officiis eidem Cong. specialiter concessis; Quaeritur, an in occurrentia Dedicationis Cathedralis, praefendum sit Officium SSmi. Redemptoris titularis Cong., quod celebratur sub ritu dupl. 1. cl. cum Octava ex concessione fel. rec. Benedicti XIV.?

Et Emi. P. . . respondendum censuerunt, ut infra, nimirum:

„Praefendum esse Festum Dedicationis Ecclesiae Cathedralis.“

Atque ita responderunt die 31. Mart. 1821 n. 4581 ad 2.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Congregatio a *B. Alphonso de Liguorio* instituta denominationem accipit a SSmo. Redemptore, et hoc nomine distinguitur ab aliis Regularium Clericorum coelibus; aequum proinde est, ut qui hanc regulam profitentur, specialibus cultus significationibus Festum celebrent SSmi. Redemptoris, et cum Officio dupl. 1. cl. cum Octava. Hujusmodi autem ritus ei competi non ex jure scripto, regulisque Rubricae, sed ex quadam congruentia, et ex privilegio, quod a S. M. Benedicto XIV. benigne concessum fuit, dum novam hanc Cong. sua auctoritate probavit. Non equidem a jure scripto; quia Rubrica de Ordinum, et Congregationum Regularium Patronis, aut Titularibus non loquitur. Siquidem Patroni, sic proprie dicti, dantur Regnis, Dioecibus, Civitatibus, Locis, non autem Ordini, aut Monasterio, veluti declaravit S. R. C. in Leodien. 16. Martii 1658. Verumtamen, etsi agatur de Regnis, Dioecibus, Locis, nequit assumi in particularem Protectorem *Chri-*

stus Jesus Redemptor Noster, cum ipse sit communis omnium Advocatus apud Patrem, caeteri vero e Coelicalium numero Advocati apud ipsum sunt, nec apud Patrem, nisi ipso mediante. *Unus est*, ait Apostolus, *mediator Dei et hominum homo Christus Jesus: quia sic est Advocatus noster apud Patrem, ut non solum impetrator, sicut alii omnes Sancti; sed sit etiam ipsemet Auctor et Largitor bonorum, quae a Patre pro nobis postulat. Vide Guyetum in Heortologia lib. 1 cap. 5 quaest. 3. Meratum ad Gavantum Rubric. Breviar. Sect. 8 cap. 5 n. 1. Quod si Patronus lato modo accipi velit, ille erit, qui alique Ordinem in Ecclesia fundavit, quatenus in Sanctorum album relatus sit, atque huic competere Patronorum praerogativas arbitratur Gavantus ib. sect. 3 cap. 12 num. 24. Quae diximus de Patrono loci, eadem conveniunt Fundatori et Patrono Ordinis in toto Ordine post solemnem Canonizationem ejusdem.*

Titulares vero dantur Ecclesiis, non Communitatibus. Non est hic locus disserendi de *Titulis*, et de varia hujus nominis significatione: a proposito diverterem, si spartam hanc illustrandam susciperem. Gavantus ib. sect. 8 cap. 6 num. 4, postquam enumeraverat diversas *tituli* acceptationes, concludit: *Titularis ergo Ecclesiae est ille, a quo titulus, seu Ecclesia denominationem habet: ib. cap. 14 quaest. 4* atque Meratus ad Gavantum *loc. cit.* haud renunt dari *Titulares* Religiosis Ordinibus, imo id exploratum habent. Non intercedam; dummodo tamen vox *Titularis* lato modo accipiatur; non autem in sensu Rubricae ita, ut de jure hujusmodi *Titularibus* a Religione, Congregatione, Monasterio assumptis de jure competant praerogativae, quibus decorantur Ecclesiarum *Tituli*; quamquam, ut supra dixi, maxime con-